

nerere intermittam, suavior mihi est S. Aposto-
 lus PETRVS 1. Epist. Cap. 4. v. 18. scribens: *Absit,*
ut aliquis vestrum supplicio adficiatur, ut - - alieni
adpetens.

Ipsemet Dn. CARPZOVIVS p. 4. 5. & 7. Dis-
 fertationis suæ hæc habet: *ἄλλοτριος ἐπισκοπῆς* *ICTi* mihi
 non sunt, qui sobrie de argumento mixto, sive quod ad
 forum utrumque, Theologicum iuxta & Iuridicum, spe-
 ctat, differunt. - - Nec hos quidem *ICTos* vitii istius
 insimulare ausim, qui sincero studio & amore sacra-
 rum Literarum ducti, scrutantur easdem Meditatio-
 nesque suas, sed quas non per *ἰδίαν ἐπιλύσιν*, 2. Petr. I, 20.
 contra omnium Theologorum & Interpretum consensum,
 suopte ingenio fingere, sed analogiæ fidei Rom. XII, 7.
 accommodare debent, cum aliis communicant. - - Verum
 hi demum *ICTi ἀλλοτριος ἐπισκοπίας* crimine se obstringunt,
 qui mente profana & illotis manibus, sacra Religionis
 nostræ irruunt & contrectant; divina oracula, pro libi-
 dine ingenii sui explicant & detorquent, & insano, omnia
 novandi, ac Theologis, quibus munus interpretandi sa-
 cram Scripturam, a Deo concessum, Malach. II, 7. &
 Matth. XXIII, 2. seq. invident, contradicendi studio,
 falcem in alienam messem immittunt. Fiat modo
 applicatio!

I. Moserus (qui multo plures, ac a Dn. CARP-
 ZOVIO recensentur, Libellos theologicos in pu-
 blicum emisit, quibus vero, cum Dn. Adversa-
 rius

rius